

voluntarie susceptum, et ideo nemo rem vel actionem alienam promittere potest. — Hinc vota parentum filios devoventium cuiusdam Religioni, aut ipsis imponendum obligationem, v. gr. certis diebus ieiunandi, etc., istos ligare nequeunt. Licet autem filii non teneantur voto parentum, qui illos Religioni, vel alicui obligationi devoverunt, parentes tamen votum obligat, ut quantum in ipsis est, salva filiorum libertate, hos moveant ad id, quod pro ipsis voverunt, amplectendum, ac multo magis ne filiis id amplecti volentibus obstant (15).

Dixi, *saltem ratione voti*; nam ex iustitia heres vota realia defuncti solvere tenetur. — S. Lig. ibid. — Vide dicenda in Tract. *de Contract.* ubi *de Promissione*.

QUAER. 4^o *Quaenam dilatio gravis censenda sit?*

Resp. 1^o Gravis est *per se* quaelibet dilatio voti graviter obligantis, quando tempori determinato affixum est, ut est votum ieiunandi in tali vigilia, etc.; quia elapso tempore cessat voti obligatio, quae compensari nequit (16).

(15) Vota eiusmodi adnexam habent conditionem, *si filii voluerint*. Ratificatio autem censi non debet sola filiorum taciturnitas, sed verus et realis accedere debet consensus, cum ad annos discretionis pervenerint: quia taciturnitas in iis, quae sunt oneris ac laboris, non arguit consensum. Salmant. Tr. 17. cap. 1. 117.

Haec tamen doctrina (quae scilicet ideo negat quempiam voto alieno ligari, quia votum est lex, quam sibi quisque propria voluntate imponit) nihil ob stare debet, quominus votis, quae totius communis nomine emiserit aut Magistratus aut Superior Religiosus, obstringantur universi cives seu subditi, neque praesentes solum sed et ii, qui imposterum membra illius communis fiant, et quidem ita obstringantur, ut si votum violent, contra Religionis virtutem peccent. Porro cum ad reddendam horum rationem diversa diversi dixerint (Vid. Suarez, *De Relig.* Tr. 6. lib. 4. cap. 9.), praeferenda videtur doctrina, quam Navarro idem Suarezius tribuit (l. c. n. 6.-7.) nimirum haec vota esse comparanda cum aliis pactis, quibus

communitas se ligat, et quorum obligatio ad posteros transit. Magistratus enim, utpote caput communis, hanc possunt isto quoque obligationis genere obstringere. Et cum ex natura communis profuatur, ut membra capiti conformare se debeant obediendo; obedientia autem obligationem transferat ad genus virtutis, cuius intuitu inducitur; exinde obligatio inde orta, ut ipse Suarez inquit, est *obligatio ad acceptandum tale votum quoad voti obligationem*.

(*) Afferuntur tamen decreta seu responsa S. R. C. (apud Gardellini nn. 1444. 1621. 1871. 1963. 2019. 4152.) quorum haec est sententia: *Votum communis celebrandi nonnulla festa de praecepto cum vigilia et processione, quantum est ex vi voti, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi voventes. Scilicet, ut obliget posteros, oportet ut legis rationem habeat.*

(16) Tum qui tempus labi sinit, quo votum implendum erat, tum qui vi aut dolo impedit quominus impleatur conditio sub qua ad votum reddendum tenebatur, peccato infidelitatis, quae propria est vio-

Resp. 2^o Si vero tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti executionem praefixum sit, dilatio notabilis in re gravi peccatum grave erit, iuxta S. Lig. n. 221., et alios. Tamburinius tamen cum aliis nullam dilationem, quantumvis longam, mortalem *per se*, dempto nimirum aut oblivionis aut impotentiae forte superventurae periculo, esse existimat (17). Res tamen ex circumstantiis et ex mente voventis definienda videtur.

lacionis votorum, se obstringit; attamen ad nihil aliud, nisi ad peccati poenitentiam tenetur ex generali principio, quod *transgressio voti* ad compensationem non obligat. Vid. Laymann, lib. 4. Tr. 4. cap. 6. n. 2.-4.

(*) Vovisti religionis ingressum, si pater consentiat, tum dolo usus obtines ut dissentiat, peccas contra votum et si adhuc fieri potest, teneris remove fraudem. At si non potes, teneris adhuc servare votum? Interest qualis intentio tua fuerit in ponenda conditione. Si ea huc redibat: *nisi pater sponte contradixerit* (et nisi aliud constet, haec praesumitur fuisse intentio) voto adhuc teneris; quia ea spontanea contradictio deest (cf. *Opus. Th. Mor.* Ball. V. 2. *de Voto* n. 57. p. 469.) si autem positivi consensus paterni existentiam intendebas, cum haec locum reapse non habuerit, obligatio voti implendi non obtinet (ibid. n. 56. p. 468).

Item vovisti pinguem eleemosynam missionibus transmarinis, si Deus te per annum a peccato mortali servaverit immunem: tum post aesus voti, ne eo obligeris peccas ut te expedias ab obligatione voti: reapse obligatio voti servandi non adest; quia verum est, te beneficium illud a Deo non recepisse, qui gratia sua efficaci et extraordinaria tum peccatum tum malitiam illam poterat impedire et intentio voventis erat, ut gratiam efficacem, extraordinariam quoque, consequeretur (cf. ibid. n. 58, p. 469.).

(17) Hanc sententiam S. Alphonsus (n. 221. in fin.) tribuit etiam S. Antonino,

scilicet moram non esse mortalem, nisi *quando fit dilatio per longa tempora, et ex ipsa dilatione est periculum oblivionis vel impotentiae implendi*. Et sane, ut bene arguit Tamburini (*Decal.* lib. 3. cap. 12. §. 3. n. 11.), nemo, cum dat totum, quod promisit, et dilatione nullum creditori damnum, ex promissione sua praecavendum, infert, condemnandus de gravi iniuria videtur, sed de levi solum negligentia. Atqui in casu ita se res habet. Merito igitur Sporer (apud eund. S. Alphons.) probabilem dicit S. Antonini doctrinam; nec ullum, praeter externam auctoritatem, pondus rationum militat pro opposita, quam primus omnium protulisse videtur Palaus (*De Vot.* disp. 1. punct. 13. n. 7.), suam hanc de *gravi duorum aut trium annorum dilatione* opinionem coniectando depromens. Haec tamen non sunt transferenda ad votum, in quo dilatio promissam materiam immuat, v. gr. si quis vitam religiosam voverit; qua de re diversas DD. sententias videre licet apud S. Alphonsum (l. c.). Et huc maxime spectat, quod habet A., *rem ex circumstantiis et ex mente voventis definiendam esse*. Perperam vero obiceret effata S. Scripturae, ubi legitur (*Eccle.* V. 3.): *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; et (Deut. XXIII. 21.): Cum votum voveris..., non tardabis reddere etc.* Haec enim non ignorabat S. Antoninus et tamen scripsit, *non esse moram mortalem nisi quando fit dilatio per longa tempora, et ex ipsa dilatione est periculum oblivionis vel impoten-*

328. **Resolves.** — 1^o Vota realia de suo solvenda sunt; qui autem nequit de suo solvere, non tenetur ab alio mendicare, ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius sive rogatus, sive sponte pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat; quia quod dat alter, accedente voventis consensu vel ratificatione, fit ipsius proprium. Excipe, si materia voti realis fuerit determinata; tunc enim ea in *individuo* eroganda est (18). — S. Lig. n. 217., cum Busemb.

2^o Vota personalia impleri possunt tantum ab ipso vovente, nec ad heredes transeunt. Hinc qui vovit peregrinationem, non satisfacit, alium ad eam inducendo (19).

3^o Votum indeterminatum quoad temporis cessationem, v. gr. de rosario diurno, aut ieiunio singulis sabbatis faciendo, obligat perpetuo,

tiae implendi, prout refert etiam S. Alphonsus (lib. 3. n. 221.)? Contra SS. Litteras utique affirmaret quispiam, eiusmodi dilationem esse laudabilem. Sed in praesenti non est quaestio, utrum id laudabile sit, sed *utrum sit peccatum mortale*. Quidam affirmarunt; quidam negarunt; et utique suam quisque opinionem censuit probabiliorum. Quid ergo? Revocetur canon, quem toties S. Alphonsus inculcat, *non esse damnandum de mortali, nisi quod certa et evidenti ratione mortale esse constat*.

Primus, ut videtur, affirmantis opinionis auctor Palaus coniectando scripsit: *CENSEREM dilationem duorum vel trium annorum esse notabilem. Nam licet res promissa exequenda sit, eius tamen executionem tanto tempore contra voluntatem Dei creditoris differre, gravem deordinationem continet; quod probari potest ex dilatione debiti hominibus promissi; quod nullus negabit gravem culpam constituere*.

Ita Palaus, et, ut dixi, *incerte coniectando*, ut patet vel ex sola illa haesitatione *inter duos et tres annos*, quasi leve quid sit unius anni discrimen.

Palai autem argumento alius respondere poterit. 1^o Nego paritatem cum creditore humano; hic enim indigere et pati damnum ex dilatione potest: non item Deus.

2^o Nego, *gravem in casu iniuriam fieri homini*. Si enim tempus non determinasti, et promittendo dixisti Petro: *hic annulus, hoc horologium, hoc palatium tuum a me erit*, nullam omnino iniuriam, neque gravem neque levem illi affers, etiamsi ad horam mortis tuae executionem distuleris.

3^o Nego, *dilationem contingere contra voluntatem Dei creditoris*. Nam Deus qua creditor, nihil exigit, quam quod voto debetur. Nihil autem debetur ex voto praeter id, ad quod se quis propria voluntate obligavit, quia votum est lex, quam quis sibi imponit. Atqui eo ipso quod vovens tempus non determinat, ad tempus aliquod determinatum semet arctare non voluit, sed solum ad rem aliquo tandem tempore exhibendam. Ergo Deus, qua creditor, hoc vel illud tempus non exigit.

Caeterum huic Palai suppelletili nemo quidpiam ulterius superaddidit.

(18) Intellige, quando peculiaris ratio movit ad rem hanc in individuo vovendam. Secus enim voto satisfiet, si vel ipse vovens vel alius aut parem aut aequivalentem rem tribuat.

(19) Eo ipso non tenetur alium sibi substituere; nisi tamen ex voto prorsus in se ita onus aliquod assumpserit, ut grave sequatur incommodum, si aut per se aut per alium illud non impleat.

nisi aliud ex circumstantiis colligatur. In dubio an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est. — S. Lig. n. 221.

4^o Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. gr. eleemosynam, pecuniam, etc..., satisfacit dando id quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius Deo illudere, quam votum adimplere.

5^o Qui vovit audire Sacrum per mensem vel annum, *probabiliter* non tenetur in festis audire duo Sacra, nisi explicite hoc voverit; quia finis voti est, ut singulis diebus fructum sacrificii colligat. Item non tenetur ieiunare die Dominica, qui per mensem, annum, vel totam vitam ieiunare vovit, nisi expresse ad id sese obligaverit; quia censetur vovere ieiunium iuxta morem Ecclesiae. — S. Lig. n. 224. (20).

(20) S. Alphonsus eodem n. 224. lib. 3. resolutionem habet a Salmanticensibus compendiatim sumptam, quae nunc aegre admittenda forte videbitur. Scribit enim: *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium: ad differentiam ieiunii praeepti ab Ecclesia, quae duplici praeepto imponit et ieiunium et abstinentiam a carnibus iuxta Salmanticenses* (cap. 1. n. 137. Tr. 17.) cum Sanchez, Azor, Silvest. etc., et *prout declaravit regnans Pontifex Bened. XIV.* Vid. lib. 3. n. 1013. Quinimo compendiosissima haec brevis effectus, ut S. Doctor ne Salmanticensium quidem sat clare sententiam exhibuerit.

Nam Salmanticenses (l. c.) uti certum principium praestituunt, *eum qui voto promisit ieiunium, teneri illud observare eo modo, quo alia ieiunia ab Ecclesia praeepta*. Deinde vero iuxta opinionem tunc temporis satis receptam, ieiunii essentiam in unica comestione et abstinentia a carnibus individuae ita consistere, ut alterutra sublata nullatenus servaretur ieiunii substantia, hanc subdunt resolutionem: *Qui iam fregit ieiunium, per votum promissum, esu carni-um, aut repetita comestione, non amplius ad illud tenetur, et potest amplius comedere, quia illi iam est impossibile ieiunium observare*. Lay-

mann, Palaus. Et hinc quidem S. Alphonsus suam illam sententiam deduxit, inquiens: *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium*.

Quod vero addit S. Alphonsus *de duplici praeepto* etc., ad resolutionem penitus diversam pertinet, quam Salmanticenses ex Laymann et Sanchez, sed minus clare et exacte sumpserunt. Imo (aiunt) *qui semel per comestionem carni-um ieiunium fregit, non peccat postea carnes comedendo, sed solum in illa prima carni-um comestione; quia in ieiunio per votum promisso abstinentia a carnibus est accessorium; et sic fracto ieiunio, non amplius obligat, quia, deficiente principali, deficit accessorium*. Mox autem addunt: *Dispar est ratio in lege ecclesiastica, in qua duplici praeepto praecipitur ieiunium et abstinentia a carnibus; et sic potest unum ab alio separari; proindeque qui fregit ieiunium, tenetur abstinere a carnibus, quia fracto uno praeepto, remanet aliud; quod in praesenti (ieiunio scil. per votum promisso) non accidit*. Dixi, minus clare haec ibi proponi. Debuissent nimirum cum Laymann et Sanchez dicere: qua die Ecclesia praecipit ieiunium, simul abstinentiam a carnibus praecipit tum ieiunantibus, tum non ieiunantibus; ergo si ea die quis esu carni-um

6^o Qui vovit ieiunium in vigilia alicuius Sancti, si haec in diem Dominicam incidat, die sabbati, iuxta morem Ecclesiae, votum adimplere potest. — S. Lig. *ibid.* — V. *Casus*, n. 312. et seq. (*).

ARTICULUS III — DE CESSATIONE VOTI

329. — Obligatio voti cessare potest.

1^o Ob causas intrinsecas, scilicet cessatione finis seu causae motivae, mutatione substantiali materiae, et impossibilitate sive physica, sive morali, ut de legibus supra dictum est, n. 121.

2^o Ob causas extrinsecas, scilicet irritatione, dispensatione, et commutatione, de quibus singillatim dicendum venit.

§. I. De irritatione votorum.

DEFINITIO. Irritatio voti est eius annullatio vel suspensio facta ab eo, cuius potestati subest voluntas voventis, aut materia voti.

DIVISIO. Est 1^o *directa*, si cadat *directe* in personam seu in voluntatem voventis; 2^o *indirecta*, si cadat tantum in voti materiam (21).

330. **Principia.** — I. Omnis Superior potestate dominativa in voluntatem alterius praeditus (ut Superior Regularis vi voti obedientiae) potest omnia subditorum vota directe irritare; nec semel irritata revivi-

fregit ieiunium, licet impossibile sit ipsi ieiunium servare, peccat tamen, si iterum carnes manducet; quia Ecclesia etiam non ieiunantibus abstinenciam praecipit ab esu carniū. Porro nimis difficile est hanc resolutionem et haec sensa cernere in S. Alphonsi verbis, quae supra sunt descripta.

Quidquid vero de hoc sit, aegre omnino admitti nunc posset prior illa S. Alphonsi resolutio, nempe: *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium.* Praestituto enim illo principio, quod omnibus commune est, *ieiunia votiva* (nisi aliter vovens promissionem suam restrinxerit) *servanda eo more esse, quo ieiunia praeepta ab Ecclesia*, profecto postquam Benedictus XIV, ab ipso S. Alphonso allegatus, declaravit, dividuam esse ieiunii materiam seu substantiam, adeo ut ad unicam comestionem teneantur illi quoque, qui utcumque, sive culpate sive inculpate carnes manducaverint, sustineri iam amplius non potest, eum, qui voverit

ieiunium, si carnes comederit, ad ieiunium nullo modo teneri. Melius post Apostolicae Sedis declarationes dicendum est, eiusmodi voventem, siquidem ea die finiebatur obligatio voti, saltem ad unicam comestionem servandam teneri; si vero obligatio illi diei non erat affixa, et ideo ea die non finiebatur, illum ad ieiunandum alia die obligatum manere.

(*) Iam superius, ubi de sacrilegio, dictum est, non cuiuslibet voti violationem esse sacrilegium. Hac malitia seposita, violatio voti unum peccatum est, nempe *infidelitatis*, quatenus non servat homo quod promisit. Quia vero Deus est ille, cui promissio facta est, *infidelitas* haec induit quoque rationem peccati contra religionem; sed non est duplex peccatum; quia tota ratio irreligiositatis est in hoc, quod fides non servetur.

(21) In posteriori hoc casu meram voti suspensionem, in priori autem habes voti annihilationem.

seunt unquam. Vota igitur inferiorum, quorum voluntas, vi status sui, perfecte Superiori subiacet, semper hanc tacitam involvunt conditionem: *nisi Superior repugnaverit.*

Hinc vota particularia Regularium et Monialium irritari possunt, 1^o a summo Pontifice ceu supremo omnium Regularium Praelato; 2^o a Superioribus Ordinis vel domus (22); 3^o ab Episcopo proprio, si Ordines ab eius iurisdictione non sint exempti. — S. Lig. n. 227.

II. Omnis Superior vel dominus irritare potest indirecte omnia subditorum vota in iis, in quibus laeditur ipsius potestas; quia quisque ius habet, ne in rebus suo dominio subiectis laedatur; sed vota haec reviviscunt, quando sine alterius praeiudicio adimpleri possint. — V. *Casus*, n. 328.

Hinc 1^o Maritus irritare potest vota uxoris, quae iure coniugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi praeiudicant.

(22) Hoc censu comprehendi etiam Abbatissas, vi nempe obedientiae, qua ipsis ex voto subiiciuntur Moniales, probat Suarez (*De Relig.* Tr. 6. lib. 6. cap. 7. n. 10.).

Caeterum DD. omnes hic excipiunt votum transeundi ad Religionem strictiorem; quod a Praelato Religioso posse irritari negant ex cap. *Licet* 18. *De Regular.* Imo censet S. Alphonsus (lib. 3. n. 233.), ne ab ipso quidem summo Pontifice, prouti supremus est Religiosi Ordinis Praelatus, irritari tale votum posse, licet ab ipso non solum Papa, sed et Praelatus Regularis possit dispensare.

Quaerunt hic DD., an Superior irritare possit vota, si dubium sit, num subditus ante professionem ea emisit, an vero post. Negativam sententiam amplectitur S. Alphonsus (lib. 3. n. 237.) contra Suarez, Sanchez, Bonac., etc., qui affirmativam tenent. Et quidem quaestio inutilis videri potest, cum vi professionis praecedentia vota facto ipso extinguantur, ut dicitur *C. Scripturae* 4. *De Voto*; *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare* (*). Verum inutilis reipsa non est quaestio, quia potest quis a statu religioso deficere, ac proinde reviviscere possunt praecedentia

vota. Et sane in Constitutionibus Soc. Iesu cautum est, ut si Scholasticus dimittatur, atque adeo auctoritate Praepositi Gen. auferantur vota simplicia, quibus se in Religione obstrinxerat, ipsi simul declaretur, reviviscere exinde obligationes votorum, si quas habebat, cum Religionem ingressus est, aut vota Religionis emisit. Quid itaque ad propositam quaestionem? Resp. Cum Suarez, et Sanchez, alique rationem pro opposita opinione a S. Alphonso allatam praeoccupaverint, ac sufficienter solverint, tuto eorum sententia teneri posse videtur.

(*) Cum textus iuris de eo loquatur, qui *commutat* vota praecedentia in perpetuam Religionis observantiam, Suarez (*De Relig.* Tr. 7. l. 6. c. 14. nn. 12. 14.) probabile censet (probabile inquit, non certum, propter tot ac tantorum virorum contrariam auctoritatem), quod vota compossibilia cum professione non extinguantur ipso facto, sed quatenus profitens vult ea commutare in melius h. e. in professionem. Ceterum cum commutatio exstinguens praecedentia vota sit commutatio in *perpetuam Religionis observantiam*, si haec deficiat, ablatis votis Religionis, ut contingit in dimissis scholasticis Societatis Iesu, liquet, cur in his priora vota reviviscant, quorum obligatio ea sola conditione cessaverat.

2º Uxor irritare potest vota mariti, quae matrimonii iura laedunt, ut votum castitatis, longae peregrinationis, induendi habitum eremitaе, etc.

3º Herus potest irritare seu suspendere vota famulorum, quae obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut votum quotidie Missam audiendi. — S. Lig. n. 241. et seq.

III. Omnia vota impuberum, etiam castitatis et Religionis, possunt directe irritari a paterna potestate. Constat ex Iure canonico, c. *Puella*, causa 20. qu. 2. c. 2. (23).

Hinc vota impuberum directe irritari possunt a patre, et patris defectu, ab avo paterno, a tutore, et, his deficientibus, a matre, et *probabiliter* etiam praesente patre (24) vel tutore. — S. Lig. n. 229. 230. — V. *Casus*, n. 330.

331. **Quaesita.** — QUAER. 1º *An maritus possit irritare omnia vota uxoris?*

Resp. Controvertitur. Alii *negant*, et dicunt maritum posse tantum irritare *indirecte* ea vota, quae iuribus suis obstant. Quoad alia enim uxor non est subiecta. — Ita Voit, n. 600. — Laymann, etc. — Melius tamen alii cum S. Thoma (25), et S. Lig. n. 234., marito ius tribuunt irritandi etiam *directe* vota stante matrimonio emissa.

QUAER. 2º *An pater directe possit irritare vota filiorum puberum emissa ante pubertatem?*

Resp. Affirm., modo filii pubertatem adepti ea non confirmaverint; imo probabiliter etiamsi illa ratihabuerint, nescientes irritabilia esse. — S. Lig. n. 238. cum aliis (26).

(23) Facultas tamen irritandi directe vota eorum, in quorum voluntatem quis dominativam potestatem habet, non a solo iure positivo, sed etiam a naturali repetenda est, ut advertit S. Alphonsus (lib. 3. n. 227.) Vide de his Suarez (*De Relig.* Tract. 6. lib. 6. cap. 6.-7.), ubi quoad vota filiorum observat, iuri positivo deberi, quod paterna haec potestas ad omnia et sola vota ante pubertatem emissa sese porrigat.

(24) Limitat tamen S. Alphonsus, quod *potest pater irritare vota filiorum, contradicente matre; sed non sic mater contradicente patre.* Adde recensitis ab A. vota novitiorum, quae a superiore, non quidem directe (princ. I.), sed indirecte irritari seu suspendi possunt.

Eadem facultas, ubi alii desint, tribui solet magistro cum discipulo, et hero cum servo parvulo. Vid. Suarez. *De Relig.* Tr. 6. lib. 6. cap. 6. n. 23.

(25) S. Thomas (2. 2. q. 88. art. 8. ad 3.): *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi de consensu Praelati, sicut nec votum puellae existentis in domo nisi sit de consensu patris, nec uxoris, nisi sit de consensu viri.*

(26) Haec quaestio latius extendi debet ad vota quaelibet emissa tempore subiectionis, quaecumque demum sit subiectionis ratio. Ad eam autem solvendam prodest duplex generalis regula a Sanchezio (*In Decal.* lib. 4. cap. 30. n. 7.-8.) proposita: *Prior est: Quando potestas*

QUAER. 3º *An possit fieri irritatio sine causa?*

Resp. Affirm. quoad validitatem, quia dominus valide disponit de re sua; sed *Neg.* quoad liceitatem, quia irrationabiliter impeditur profectus spiritualis subditi, etc. Non tamen id communiter (27) peccatum veniale excedit. — S. Lig. et alii communiter.

QUAER. 4º *An Superior irritare possit vota a se ratihabita?*

Resp. Affirm., quia nequit sibi adimere potestatem, quam in subditos habet. — S. Lig. n. 239. (28). — V. *Casus*, n. 326. et seq. ad 331.

Superioris, cuius tempore votum emissum est, non est omnino extincta aut omnino suspensa sed, quoad aliqua manet, potest irritare votum subiectionis suae tempore emissum, etsi illud iam transierit; dummodo eo transacto non sit denuo confirmatum (intellige, confirmatum cum scientia infirmitatis voti tempore subiectionis emissi, ut etiam A. innuit). *Posterior regula est: Quando ea Superioris potestas est omnino suspensa nequit irritare ea vota.* Plures quaestiones ope utriusque regulae solutas, vide apud eundem Sanchezium tum cap. cit., tum *De Matrim.* lib. 9. disp. 41. n. 3.

(27) Dicitur communiter, 1º quia graviter peccaret, qui aut ex prava intentione aut cum gravi subditi noemento vota irritaret, ut notat Suarez (*De Relig.* Tr. 6. lib. 6. cap. 1. n. 10.); ita, v. gr. si pater id faceret ex odio seu invidia profectus spiritualis filiorum, aut ex contemptu religionis; 2º quia (ait S. Alphonsus lib. 3. n. 228.) *de se loquendo verius est, nullum esse peccatum, quia vota subditorum sub conditione consensus Superiorum emittuntur; unde obedientia pro causa sufficit... dixi de se loquendo: quia difficulter aliunde poterit excusari a veniali, vel quia facit actum otiosum vel quia irrationabiliter profectum alterius impedit... Sufficit vero quaevis causa rationabilis ad excusandum a veniali.*

Qua de re bene Suarez (l. c.): *Considerandum, an irritandi potestas data*

sit in bonum voventis, uti Praelato Religioso, an in commodum irritantis ut domino respectu servi, an intuitu utriusque, ut patri respectu filii. Si primum, ut licite irritatio fiat, opus est, ut haec censeatur utilis aut religioni, aut quod pensatis omnibus censeatur maius Dei obsequium... Si secundum, nullum erit peccatum id facere intuitu proprii commodi, quia dominus utitur re omnino sua..., et solum oportet, ut adsit finis honestus, et insuper ne fiat contra charitatem, quae etiam servo debetur... Si tertium idem dicito ac in secundo: nisi quod maiori obligatione pater consulere bono filiorum, aut vir uxoris, ut bene sua potestate utatur.

(28) Idcirco non solum valide sed etiam licite eiusmodi vota irritat, si qua causa rationabilis adsit. Qua de re monet Suarez (*De Relig.* Tr. 6. lib. 6. cap. 7. n. 16.) ad irritandum *sufficere minorem causam quam ad dispensandum.* Unde *ex omnium sententia* infert, subditum, qui petat a suo Praelato irritationem voti, quando non habet causam, quae ad iustam dispensationem sufficiat, *non peccare, quia (inquit) utitur iure suo. Item quia votum non fuit absolutum, sed conditionatum, et per illud non se obligavit ad cavendum, ne conditio impediretur, vel ad non praecavendum, ut non poneretur, ut constat ex communi modo voventi... Item non est peccatum, se ostendere propensum ad irritationem; quia hoc neque est contra aliud prae-*